

# I

## SACRA CONGREGATIO CONCILII

### DECRETUM DE VETITA CLERICIS ET RELIGIOSIS NEGOTIATIONE ET MERCATURA (\*)

“Pluribus ex documentis constat, in Ecclesia quovis tempore clericis in sortem Domini vocatis saecularia negotia, negotiationem praecipue et mercaturam, gravibus sub poenis et censuris prohibita fuisse.

Siquidem ipse Apostolus in II.<sup>a</sup> epistola ad Timotheum (cap. II, 4) iam monuit: “Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus.” Nil mirum proinde si Tridentina Synodus (sess. XXII, cap. L, de reform.) de his agens criminibus decernere non dubitaverit: “Ut quae alias a Summis Pontificibus et a sacris Conciliis de clericorum... saecularibus negotiis fugiendis copiose ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem poenis vel maioribus, arbitrio Ordinarii imponendis, observentur...”

His itaque omnino inhaerens Codex iuris canonici, ad rem quod attinet, canone 142 statuit: “Prohibentur clerici per se vel per alios negotiationem aut mercaturam exercere sive in propriam sive in aliorum utilitatem.” Haec autem prohibitio afficit etiam religiosos ad normam canonis 592. Quin-imo idem Codex hoc praescriptum canone 2380 peculiaribus etiam sanctionibus munivit, addens: “Clerici vel religiosi mercaturam vel negotiationem per se vel per alios exercentes contra praescriptum canonis 142 congruis poenis pro gravitate culpae ab Ordinario coerceantur.”

Quo firmior et magis uniformis ecclesiastica disciplina hac de re habeatur, atque abusus praecaveantur, Sanctissimus Dominus Noster Pius Pp. XII statuere dignatus est ut clerici et religiosi omnes ritus latini de quibus in canonibus 487-681, ne exceptis quidem recentium Institutorum saecularium sodalibus, per se vel per alios mercaturam seu negotiationem cuiusvis generis, etiam argentariam, exercentes, sive in propriam sive in aliorum utili-

---

(\*) AAS, XLII (1950), 330-331.

DECRETUM DE VETITA CLERICIS ET RELIGIÖSIS NEGOTIATIONE ET MERCATURA

tatem, contra praescriptum can. 142, utpote huius criminis rei, excommunicationem latae sententiae Apostolicae Sedis speciali modo reservatam incurrunt et, si casus ferat, degradationis quoque poena plectantur.

Superiores vero qui eadem delicta, pro munere suo ac facultate, non impediverint, destituendi sunt ab officio et inhabiles declarandi ad quodlibet regiminis et administrationis munus.

Pro omnibus denique, quorum dolo vel culpa patrata facinora tribuenda sint, firma semper manet obligatio reparandi damna illata.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, die 22 mensis Martii anno 1950.—IOSEPH. CARD. BRUNO, Praefectus.—F. ROBERTI, a Secretis.”